

7+8/87

IDIBVS AVGVSTIS

MCMLXXXVII



RVMOR VARIVS



TOMUS 10

FASC. 66

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	öS 140.--
In ceteris Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	U\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	öS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	U\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes,

Socii operis, qui Rumorem Varium edendum curamus, feriis
aestivis feliciter peractis denuo in negotiis cottidianis
versamur. Inter haec munera varia nostra est unum, quod
maxime diligimus: edere novum bimensulaiter fasciculum
Rumoris Varii, quo omnes, qui Latinitatem curant,
delectentur...

Quod autem facere non possemus, nisi a vobis semper novas
symbolas Latine compositas acciperemus dignas, ut huic
libello imprimantur. Talium symbolarum - lectu
dignissimarum - exempla etiam libellus, quem manu tenetis,
continet multa: narratio e.g. amici nostri Dr. is Emanuelis
Bernard hilarissima de itinere navali nuperrime in fluvio
Danubio cum uxore ab urbe Vindobōna ad Pontum Euxīnum facto
aut, ut aliud exemplum dem, tractatio Danielis Weissmann de
Nathanis sapientis parábola aut, ut tertium exemplum
afferam, tractationis Roberti Maier Mathiaequae Heyden de
computatris pars tertia.

Cur non vos quoque, amici Rumoris Varii, stilo capto statim
textūs Latinos - ut exemplum dem de feriis vestris aestivis
hoc anno peractis - componitis? Imprimis discipulos
diligenter moneo, ut modestiā falsā depositā ea Latine
exprimant, quae sibi cordi sunt. Saepe atque iterum repeto,
quod iam nonnullis occasionibus prioribus datis litteris
evocavi: Nolite errores, menda, lapsūs linguae timere, sed
semper audete! Qui ausus erit, vincet; textibus suis Rumore
Vario divulgatis non modo stipendia accipiet, sed etiam
amicos sibi novos e magno numero Rumorem Varium legentium
parabit. Quis vestrum nobis symbolam Latine scriptam primus
mittet? Valete!

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann

Nathanis sapientis parabola de tribus anulis
vel
de mentis humanae finibus in veritate cognoscenda

Tractationis pars prima

Post longum intervallum nuper inter libros meos in fabulam celeberrimam Gotthold Ephraim Lessing poetae incurri, in qua ille Nathan sapientissimus parabolam (1) de tribus anulis iure praeclaram narrat, quae, ne umquam e memoria hominum excidat, nostris quoque temporibus reminiscendo et tradendo digna mihi videtur, ad arrogantiam superbiamque quarundam doctrinarum de religione minuendam, augendam autem tolerantiam et verecundiam hominum inter se ipsos. Ergo illa parabola, quam iterum legi, nunc Latine reddita sit:

Saladin sultanus (2) inter tres religiones, Iudaeam, Mahometanam (3) Christianamque unam solam veram esse opinans Nathanem sapientissimum Iudaeum interrogaverat, quamnam earum trium religionum veram existimaret. Tum Nathan hac fere parabola respondit:

"Temporibus longe remotis in orientali regione vir quidam vivebat, cui anulus inaestimabilis pretii erat. Anuli lapidi, opalo (4) centum coloribus pulcherrimis nitenti (5), vis secreta inerat reddendi gratum apud deum et homines eum, qui anulum ea ipsa fiducia gerebat. Nimirum ille vir in orientali regione vivens anulum numquam digito exuebat et praecepit, ut in aeternum in domo sua conservaretur. Anulum enim ex filiis suis ei tradidit, quem maxime amabat, constituitque, ut ille filius eodem modo anulum ei ex filiis suis legaret, quem maxime amaret, et porro filius maxime amatus ordine natus neglecto ex anuli vi solum domus princeps fieret.

Eo modo anulus a filio ad filium traditus denique ad patrem quendam pervenit, cui tres filii erant, quos, quia eodem modo patri obsequebantur, pariter omnes amabat. Modo hic, modo ille, modo tertius patri dignior anulo gerendo videbatur, cum quisque eorum solus cum patre versabatur et ille cogitationes et amorem aliis absentibus ad unum

direxit (6). Itaque unicuique filiorum anulum pollicitus est.

Multis annis praeteritis pater cum tempus moriendi appropinquare sentiret, in angustiis erat. Maxime enim dolebat duos ex filiis, qui promisso patris confidebant, spe deicere et maxime laedere. Quid erat faciendum? Pater artificem clam arcessivit, quem iussit secundum specimen (7) duos alios anulos conficere nec sumptibus neque operae parcentem, ut specimini omnino similes essent. Quod artifex tanta arte perfecit, ut pater ipse, cum ille anulos apportavisset, novos confectos a specimine discernere non posset. Laetus hilarisque filios advocavit, unumquemque separatim, et unicuique separatim omnia laeta et prospera precatus (8) anulum dedit animamque efflavit.

Patre vix mortuo suum quisque filiorum anulum ostendens princeps domus esse cupivit. Sed frustra inquirebant, frustra rixabantur, frustra querebantur: anulus verus cognosci non poterat, non secus fere ac religio vera a nobis cognosci non potest."

Tum Saladin miratus: "Quid? Idne responsum meae interrogationi est?" Nathan: "Veniam peto", ait, "si non audeo discernere illos anulos, quos confici pater hoc consilio iusserat, ne discernerentur." Saladin: "Putavi tamen", inquit, "illas religiones, quas dixi, inter se discerni consuetudine vestiendi, edendi, bibendi."

Nathan autem narrare perrexit: "Certe, sed a principiis discerni non possunt. Nonne in historia, sive tradita sive scripta, positae sunt? Nonne historia solum cum fide (9) accipienda est? Et cuius de fide minime dubitatur? Nonne de fide nostrorum, quibus cognati sumus, quorum amorem a pueris experti sumus, qui numquam nos deceperunt nisi, si nobis magis salutis erat decipi? Quid ego meis maioribus minus credam quam tu tuis? An tu tuis minus confidas quam ego meis? Num mihi licet a te postulare, ut tuos maiores mendaces, ducas, ne a meis dissentias? An versa vice (10)? Et de Christiano res eodem modo se habet."

Saladin admiratione perfusus intellexit Nathanem verum dixisse. Sapiens autem: "Sed ad anulos revertamur. Filii in ius ierunt (11), et quisque ante iudicem iuravit se anulum

e manu patris accepisse - quod erat verum -, postquam pater iam dudum se privilegio anuli fruiturum promisisset - quod haud minus erat verum -. Quisque filiorum affirmavit imaginari se non posse patrem se fefellisse, et, priusquam de patre tam caro talia suspiceret, se existimare cogi unum fratrum, quamquam de iis optimum solum existimare mallet, se fefellisse; proditores autem se investigaturum et ulturum esse. Iudex ob iurgium indignatus exclamavit: "Nisi tandem patrem adduxeritis, vos a mea sede fugabo. Num me ad aenigmata solvenda hic esse putatis? An exspectatis, dum anulus verus loqui incipiat? Sed, ut audivi, vero anulo vis mira inest, ut, qui eum gerit, apud deum et homines gratus reddatur? Ex eo iudicandum est. Nam anuli falsi id certe non efficient. Dicite ergo, quem duo vestrum maxime ament! Siletisne? Anuli apud vos tantum valent (12), non apud alios? Quisque se ipsum modo maxime amat? O, si ita est, vos omnes decepti deceptores estis. Anuli vestri omnes non veri sunt. Verum autem anulum amissum puto. Ad amissum (13) occultandum pater illos tres pro uno conficiendos curavit. Itaque, si consilium meum vobis placeat, re, quomodo se habeat, contenti sitis. Quisque vestrum anulum a patre accepit: Ergo suum quisque anulum verum ducat. Fortasse pater dominationem unius anuli in domo diutius sinere noluit. Certe vos omnes pariter amabat et noluit duos praeterire unius favendi causā. Agedum: Suo quisque amori incorrupto sine opinione praeiudicata (14) operam det. Quisque certatim studeat, ut vis lapidis suo anulo illustretur. Quam vim adiuvet animo miti et placido, amore pacis, benefaciendo studioque maximo in deo. Et cum vires lapidum apud liberos nepotesque vestros apparuerint, eos post millies milia annos iterum ad hanc sedem vocabo. Tum iudex me sapientior hic sedebit et iudicabit. Nunc autem abeatis!" Sic iudex modestus locutus est; et si tu, Saladin, existimas te illum hominem propositum (15) esse..."

Saladin: "Egone, qui nihil sum? O, care Nathan, millies milia anni nondum praeterierunt. Nunc i, sed, quaeso, sis amicus mihi!"

(Tractationis pars finalis proximo libello sequetur)

Daniel Weissmann

Wörter

1 parabola,-ae,f.	Parabel, Gleichnis
2 sultanus,-i,m.	Sultan
3 Mahometanus,-a,-um	mohammedanisch
4 opalus,-i,m.	Opal
5 nitere,-ui 2	glänzen
6 dirigere,-rexi,-rectum ad	hinwenden auf
7 specimen,-inis,n.	Muster
8 omnia laeta et prospera precari	den (väterlichen) Segen geben
9 cum fide	auf Treu und Glauben
10 versa vice	umgekehrt
11 in ius ire	vor Gericht gehen
12 valere apud	wirken auf
13 amissus,-us,m	Verlust
14 opinio praeiudicata	Vorurteil
15 propositus	in Aussicht gestellt



In campis Manassae

Lectrices et lectores maxime honorabiles,

carmen parvulum, quod infra legere poteritis, inveni in phonocaseta quadam nuper mihi ex America aeroplano allata. Qua continentur multa carmina aetate Belli inter Civitates Gesti (inter annos 1861 et 1865) composita et cantata in civitatibus eis, quae se liberandi causa ex unione secesserunt et Confoederationem (quae dicitur) condiderunt. Historia nos docet Confoederationem eam quattuor post annos esse funditus destructam civitatesque "rebelles" vi redactas in unionem.

Carmen infra legibile paulo post bellum est compositum. Eo tempore "Yanci", i.e. Americani septentrionales, qui victores bello abierant, civitates meridianas non tantum occupabant, sed incolas crudelissime opprimebant et spolia-

bant. Generalis quidam subridens dixisse fertur haec: "Vallem Shenandoae (1) tam vastam reddam, ut immo corvus supervolans viaticum secum gerere cogatur!"

Milites meridiani, qui quattuor per annos fortissime pro patria atque libertate dimicaverant, domum regressi saepe non habebant, quo familias nutrent, neque etiam, quo virgines in matrimonium ducerent. Quorum unus maesto animo cantat haec:

Textus Latinus

In campis Manassae (2)
Yancos stravimus
non obliviscentur
plagas, quas damus.
Sed non est pecunia
nec cibus mihi,
ne dormiam in via,
pavesco, ibi.

Spernunt me parentes
egenum tui,
habent me non dignum,
te adeam qui.
O Mollia mea,
ob te emigro,
sum miles rebellis
Dixiamque colo!

Non esurit equus,
faenum recusat,
ephippium imponam,
quod aura vocat
in solis occasum
liberrima me,
saevos domitabo
equos neque te.

(1) vallis Shenandoa = Shenandoah Valley, regio in civitate Virginiae sita fecundissima (ante bellum scilicet!)

Textus Anglicus

On the plains of Manassas
the Yankee we met,
we gave 'em a whippin'
they'll never forget.
But I ain't got no money
or nothin' to eat,
I'm afraid that tonight I
must sleep in the street.

Your parents despise me,
they say I'm too poor,
they say I'm unworthy
to enter your door.
O Molly, dear Molly,
you caused me to roam,
I'm a poor rebel soldier
and Dixie's my home!

My horse he ain't hungry,
he won't eat your hay,
I'll saddle my horse
and I'll ride him away,
I'll live in the west
where the free breezes blow,
I'll hunt the wild deer
and I'll ride the bronco.

(2) Manassa, -ae (f.) = Manassas: Apud hunc viculum in Virginia neque non prope Vasintoniam (Washington) situm initio belli (mense Iunio anno 1861^o) Yanci cladem ingentem acceperunt. Milites meridiani, haud multum afuit, quin Vasintoniam expugnarent! Quam si re vera expugnassent, bellum verisimiliter tunc esset finitum atque America divisa in partes duas!

Martinus Meier

MORTES

Solitudo non ferenda cantilenarum trivialium cantricem Dalidam in mortem voluntariam compulit.

Dalida veneno medicamentorum somniferorum mortem sibi conscivit.

Fortuna vitrea est, tum quum splendet, frangitur.

Publilius Syrus



Cantrix autem cantilenarum trivialium Dalida (quae dicitur), cuius fama per omnes est propagata terras, nationes ac gentes, in domicilio eius Lutetiae Parisiorum in urbe Francogalliae mortem sibi conscivit seu intulit. Custodibus publicis Parisiensibus auctoribus Dalida mortua est (ex) dosi omnem modum excedente letali medicamentorum somniferorum. In ultima epistula ante mortem scripta qua valere Dalida iubet fautores fautricesque eius solum scripsit singula verba haec: "Vita mihi non ferenda est - condonate mihi!"

Corpus autem cantricis mortuae, quae etiam die Mercurii 29^o mensis

Aprilis anno 1987^o in Turcia edit concentum musicum triumphalem, a famula domestica die Solis seu dominico 3^o mensis Maii, hora 18^a, in domicilio inveniebatur. Fama de morte Dalidae palam facta divulgataque milia hominum concurrerunt (cucurrerunt) confluxeruntque ante domum cantrici in colle Montis Martyrum (vulgo Francogallice: Montmartre) Lutetiae Parisiorum in urbe.

Dalida autem cantrix omnibus nota die Martis 17^o mensis Ianuarii anno 1933^o Cairi in urbe Aegypti e parentibus Italis sub nomine civili Iolantha Christina Lilioti filia (vulgo Italice: Yolanda Cristina Gigliotti) est nata. Anno 1954^o creata est "Magistra pulchritudinis Aegypti" (vulgo: Miss Egypt) et actrix etiam facta cinematographica a dispositore cinematographico Francogallico Luciano Mauritio (Francogallice: Lucien Morisse). Anno autem 1961^o Dalida nupsit Luciano Mauritio, sed non ita multo post conubium confregit atque Lucianus Mauritius paulo post vitae pertaesus manus sibi attulit mortemque sibi conscivit. Anno autem 1967^o Dalida creata est cantrix maxime popularis totius Italiae atque praemio ornata, sed eodem anno etiam amicus cantrici, compositor Italus Ludovicus Tendo (vulgo Italice: Luigi Tendo), mortem sibi conscivit taedii vitae causa. Breviter post etiam Dalida depressionibus gravissimis vexata adfectaque conamen suicidii superdosi medicamentorum somniferorum incepit, sed incolumis salvaque evasit. Cantilenae autem ab ea anno 1959^o per omnes terras ac gentes propagatae titulus fuit hic "Die (eo), cum veniret pluvia..." (Germanice: Am Tag, als der Regen kam), qua cantilena Dalida laudem sibi collegit ubicumque terrarum gentiumque atque posthac gloria floruit perpetua et infinita. Praeterea Dalida optume successit aliis cantilenis, quarum tituli sunt hi: "Infantes Piraei" (Francogallice: Les enfants de Pirée) anno 1960^o, "Fuit commodum 18 anno natus" (Francogallice: Il venait d'avoir 18 ans) anno 1974^o atque "Dies sextus" (Francogallice: Le sixième jour). Dignitatis insignia atque ornamenta Dalidae tributa fuerunt haec: discus sonans seu phonodiscus adamantinus (Germanice: diamantene Schallplatte) anno 1981^o atque phonodiscus platinatus (Germanice: Platinplatte) iam anno 1964^o pro mas quam decem decies centena milia (decem miliones) discorum sonantium seu phonodiscorum divenditorum.

Administer publicus Francogallicus cultus educationisque Franciscus Liuthardus (Francogallice: François Léotard) suicidium Dalidae cantriciis verbis his est interpretatus:

"Mors autem immanis Dalidae nostrae ad oculos nobis ostendit solitudinem inmensam et infinitam artificis aetatis nostrae. Nam post lucem nitentem et fictam suggestus (Germanice: Rampenlicht) atque post plausum ancipitem in proscaenio in vita ipsa saepe latet miseria privata artificis - et res fortunae, de quibus in versibus intercalaribus (Francogallice: Refrain) semper denuo cantatur, fragiles instabilesque esse inter homines constat."

Cantrix autem infelix infaustaque condicionibus vitae graviter adflicta lassitudineque confecta defessaque nullam viam salutis invenire, e difficultatibus vitae nullo modo emergi potuit atque mortem sibi conscivit, sed cantilenae eius et protinus hilariter personabunt in omnibus fere orbis terrarum partibus.

AMICUS



Anni tempora

I. Vere

(s. asclepiadeum)

Maturas, iuvenes, carpite iam rosas,
festosserta decent. Herba vocat gradus.
Turtur sub platano concinit abdita.
Laetantur tenero flumina gramine.

II. Aestate

(s. asclepiadeum maius)

Titan urit humum. Pax ubivis. Sicca meridies
torrens rura tenet. Crebra gregem protegit arbutus.
Ulmus stat viridis, flava seges, rufa papavera.
Sero stella venit multa ferens oscula amantibus.

III. Autumnno

(s. sapphicum)

Uva flaccescit, vetulus flet aeger.
Nubilat. Spargunt croceum tapete
flabra. Ranarum tenuis querella
nuntiat umbras.

IV. Hieme

(s. alcaicum)

Tarde cadebat nix. Rutilas focus
flammas alebat. Candor erat polo.
In corde mansit palpitante
dextra tuo mea. Nix cadebat!

Florindo Di Monaco



"Honoraria vere classica"

Scriptores sive auctores librorum vel maxime divenditorum (vulgo hodie: "Bestseller") nostris temporibus vulgo magnam demerent pecuniam. Iam summas plus quam 100 000 marcarum Germanicarum per annos singulos auferunt, quod non raro, sed crebrius evenit.

Quondam autem temporibus pristinis scriptores auctoresque tantas auferre summas neutiquam potuerunt.

Immanuel autem Kant(us) exempli gratia, philosophus ille Germanus, qui Regiomonte in oppido Borussiae Orientalis an anno 1724° usque ad annum 1804^m vixit, pro libro omnibus noto viris re et veritate doctis cui titulus "Critica (diudicatio) rationis purae" (Germanice: Kritik der reinen Vernunft) anno 1781° accepit 220 stateres (220 Taler), 2 pondo tabaci contriti sternutatorii (2 Pfund Schnupftabak) atque 16 botulos Gottingenses (16 Göttinger Würste).

Iohannes autem Christophorus Fridericus Schiller(us), poeta

ille Germanus, cuius fama per omnes propagata est terras, 1759–1805, pro editione tragoediae "Dominus Carolus" (Don Carlos) anno 1787° accepit 378 stateres, pro libro cui titulus "Historia (Res gestae) defectionis Niderlandiarum Unitarum" (Geschichte des Abfalls der vereinigten Niederlande) anno 1788° honorarium adeptus est solum florenorum 80 (80 Gulden).

Christianus autem Fridericus Hebbel(ius), 1813–1863, poeta Germanus omnibus notus viris doctis, pro carmine epico "Mater infansque" (Mutter und Kind) anno 1859° accepit 600 stateres.

Godofredus autem Cellarius (vulgo Germanice: Gottfried Keller), Turicensis, poeta Helvetius ille celeberrimus, 1819–1890, cuius gloria interim longe lateque ubivis terrarum gentiumque est pervagata, pro fabula Romaniensi cui titulus "Henricus viridis" (Der grüne Heinrich) quattuor tomos continente, quam olim Berolini in urbe scripserat, 600 stateres anno 1855° accepit.

Sic ierunt fata scriptorum vat(i)umque antiquis temporibus!

Mod(ul)us collybi seu pecuniae permutandi.

1 florenus = denarius aureus Florentinus = 1 Gulden
= 2/3 stateris (2/3 Taler)

1/2 florenus = 1/3 stateris

1 stater (taler) pretium habuerat olim 20 fere marcarum Germanicarum hodiernarum.

AMICUS



Facete lepideque dicta

De monacha et monacho (1)

Olim monachus cūm monacha teniludium agebat (2). Dum ludent autem, nonnumquam accidit, ut monachus illius ludi minus peritus pilam reticulo (3) tangere non posset. Cum id eveniebat, monachus, quia ingenio acri et iracundo erat, se

ipsum execrans exclamabat: "Deus me perdat, non tetigi (4)!" Semper, cum hoc votum atrocissimum ex monachi ore excidebat, monacha imis in medullis perhorrescens et saluti animulae timens signum crucis faciebat velut si diabolus ipse apparuisset.

Tandem patientia eius confecta monacho dixit: "Ne iterum talibus verbis horribilissimis auditu usus sis! Aliter non iam tecum ludam. Monachus promisit se contenturum se neque porro talia dicturum. Sed paulo post, cum iterum pilum non tetigerat, promissi oblitus denuo exclamavit: "Deus me perdat, non tetigi!" Monacha expallescit neque multum aberat, quin animus eam relinqueret (5). Monachus autem maxima paenitentia commotus monacham imploravit, ut postremum sibi ignosceret et: "Si semel talia vota dixero," inquit "fulgur de caelo me tangat!"

Aliquamdiu se continere potuit. Sed aliquanto tempore post pila non tacta iurisiurandi iterum oblitus et ira incensus maxima voce: "Deus me perdat, non tetigi!" exclamavit. Sine mora magno cum crepitu fulgur de caelo emicuit, et eo loco, quo monacha steterat, nihil nisi acervus cineris supererat monacho intacto. De caelo autem vox perterrita audita est: "Deus me perdat, non tetigi!"

- | | |
|---------------------------|-----------------------|
| (1) monachus, -a | Mönch/Nonne |
| (2) teniludium agere | Tennis spielen |
| (3) reticulum | Tennisschläger |
| (4) tango, tetigi, tachum | treffen, berühren |
| (5) animus me relinquit | ich falle in Ohnmacht |

Si unus solus veritatis aspectus esset, fieri non posset, quin centum picturae de eadem re pingantur.

(Picasso dixisse fertur)



Daniel Weissmann

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium


Ursula Schwenk
Aehrenweg 13
5430 Wettingen

secundum praemium

Harald Jenk
Flurweg 8
3098 Köniz

tertium praemium

Max Müller-De Vries
Zürcherstrasse 10
4143 Dornach



His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (secundum et tertium praemium), eis mox mittentur.

Domus Editoria
Rumoris Varii

DE NAVIGATIONE A VINDOBONA USQUE AD PONTUM EUXINUM FACTA NARRATUR

Et hac aestate nimirum ut quotannis omnibusque feriis mihi in animo erat domi manere, in litore lacūs nostri Turicensis, qui secundum poetam C.F. Meyer lucidissimus est omnium lacuum Helvetiorum.

Sed uxor mea Agnes praenomine (Genitivo casu: Agnetis), cupidissima ut solet esse videndi terras alienas, etiam hac aestate consilium ceperat itineris faciendi, attamen sola proficisci meque domi solum relinquere noluit, quamquam ignara non erat me ferias domi dēgere multo malle. Iam multo ante ferias, quin etiam iam mense Maio, animum meum commutare temptaverat et postremo, multis verbis blanditiisque usa, pertinaciam meam devicit persuasitque mihi, ut iter secum facerem.

Sed quo tandem terrarum ire vis? interrogavi. -
Navigationem facere in Danubio, a Vindobona (Wien) usque ad Pontum Euxinum. Pretium pro vectura iam solvi. -
Pro mea vectura quoque? -
Pro tua quoque. -
Excellenter! exclamavi. Tu pretium pro vectura mea clam solvistis, quamvis ignara fueris, utrum tecum profecturus essem necne! - Haud ignara solvi, sed certissima te solum domi manere nec velle nec posse. -
O sanctam astutiam muliebrem! Re vera muliebriter egisti. -

Vindobōnae (in Wien) navem conscendimus. Erat navis satis magna et alta, magnis machinamentis motoriis acta, maior navibus, quas in nostro lacu videmus, diaetas (Kajüten) ducentis vectoribus (Passagiere) continens, tribus tabulatis (Etagen), infimo, medio et supremo. Diaeta nostra erat in supremo, satis commoda, spatiosa, at vero maximi pretii.

Conscendentes nos omnes vectores consalutaverunt nautae et famuli (Bediente), singula pocula vini pruno facti (Slibowitz) cuique nostrum porrigentes. Tum suam quisque diaetam petivit sarcinas collocatum et corpora curatum (Toilette zu machen). Mox ad cenam megaphōno (Lautsprecher) vocati sumus.

Cenatio (Speisesaal) nostra, in summo tabulato sita, paulatim a vectoribus complebatur. Ad nostram mensam coniuges Vindobonenses (Wiener Ehepaar) sedebant. Inter cenandum saepius per magnas circum fenestras fluvium spectabamus et regiones posteriores. Navis iam celeriter vehebatur ad fines Hungariae versus. Mirabamur ingentem latitudinem Danubii.

Primo et aliquamdiu mute cenabamus, quippe qui alii aliis noti nondum eramus, nisi quod bonam adpetentiam cibi optaveramus. Sed sorbitione habita (nach der Suppe) nos vicissim introduximus suaviter subridentes, iamque sermocinatio viva orta est. Coniuges ut Vindobonenses loquaciter narrabant de rebus Vindobōnae visu dignis nec non (und gewiss auch) patriam nostram largiter laudabant. Magis magisque aperte, quin etiam familiariter colloquendo domina professa est se esse fide catholica, eius maritus autem subridens, cum uxore cavillans (neckend) se affirmavit doctrinā catholicā satis abhorrere. Mihi magis placuit domina, quinquaginta fere annorum, eximie apta ad animos movendos, dulcissima morum. At eius maritus magis placuit uxori meae, cum esset altā staturā et aspectu iuvenili. Re vera nemo crederet eum esse sexaginta trium annorum. Mihi minus placuit, quia meo iudicio nimis erat loquax, nimis admirator sui, nimis argūtans (vernünftelnd), nimis certus iudicii sui.

Post cenam ambulabamus sole iam occidente per ambulationem (Wandelgang), quae in summo tabulato circum navem duxit, ingentem fluvium mirantes et ripas, quae adhuc erant eadem atque ante, amoenissimae, opertae parvis arboribus frondentibus et virgultis. Vir Vindobonensis, ut erat doctissimus, mihi explicavit huius generis ripae et loca nostro Germanico sermone nominata esse "Aulandschaft", quod vocabulum Latino sermone reddere nequeo. Romani antiqui notionem (Begriff) "Aulandschaft", quod ego sciam, non habuerunt. Attamen pluribus verbis Latine dicere audeo dicens: "campus aquis irriguus, herbosus" vel simpliciter "Campus".

Omnibus diebus navigationis in Danubio factae Iuppiter erat serenus, calor tantus, ut vix ferendus esset, circiter

XXXIV graduum, secundum mensuram Celsii. Totā meā vitā non tantum me puto sudavisse. Saepe in constratum navis (Oberdeck) escendimus, ut acciperemus refrigerationem, vnto suaviter ibi flante. Paulatim plures convectores (Mitreisende) cognovimus sive in constrato sole gaudentes, sive in caupōnio (Bar) potantes. Et hic et illic convēnimus vectores iucundos, quorum essem studiosus, oriundos e Germanja, e Gallia, ex Austria, ex Helvetia. Imprimis familiariter utebar coniugibus quibusdam sermonis Hispanici, quia Hispanice colloquendi cum illis mihi erat data occasio. Magnis laudibus me efferebant propter meam Hispanice loquendi facultatem, ignorantes me saepe non intellexisse, quid dixissent. Saepe enim me intellexisse finxi, suaviter subridens et verbis eorum adnūtans (zunicke) velut ac si intellexissem. Vesperi solebamus saltare in cauponio, symphonia canente (während die Musik spielte) usque ad multam noctem. Ibi puellam venustissimam cognovi, cuius amore paene captus sum. Cum autem sentirem eam mei ut senis pigere (dass ich ihr auf die Nerven gab), recessi ab eius consuetudine et cum aliis feminis saltavi.

Media nocte primi diei navis advēnit in Urbem Budapest. Quam pulcherrimam urbem! Mille lucas ab utrāque parte, dexterā ab alto, sinistrā ab urbe planā, fulgebant fulgore numquam antea viso. Attamen nave exire vētiti sumus. Postridie mane demum autoraedā (Car) vecti per duas horas urbem collustravimus, mirantes ubivis loca, aedificia pulcherrima.

Sub vesperum navis nos provexit urbem Belgradum versus, quo meridie insequentis diei advēnimus. Qua de urbe nihil narrabo, ut quae mihi non placuerit. Illinc (von dort) die nocteque secundo Danubio navigantes appropinquavimus locis montuosioribus et mox montibus altissimis, quos nostro sermone appellamus "Karpaten". Temporibus iam remotissimis, tum cum Homo Sapiens nondum exstitit, Danubius viam sibi per istos montes perrosit (durchnagte sich), ut tandem ad planitiem inferiorem et illinc aliquot diebus post ad Pontum Euxinum perveniret. Nos autem in nave commoda familiaritate convectorum gaudentes non cupivimus tam celeriter ad Pontum Euxinum advenire sperantes potius finem itineris nostri quam remotissimum fore.

Vos autem, cari legentes, nimium narrando defatigare nolim. Quapropter brevius quam adhuc narraturus sum de réliqua parte navigationis nostrae. Nihil dicam de urbe Ōrsova, de urbe Turnu Severin, de Balneis Herculis, quae omnia visitavimus. Praetermitto silentio urbem Giorgiu, sed non tacebo duo saepta (Schleusen), quae navem per XXII (viginti duos) passūs in locum inferiorem tulerunt. Per duas horas in saeptis haerentes demissi sumus.

Antequam saepta facta sunt, Danubius nimirum viam ipse sibi fecerat, celerrime super saxa se praecipitans. Nunc autem domitus est illis saeptis, navesque a Vindobōna usque ad Pontum Euxinum commode vehuntur.

Octavo die, ientaculo habito (nach dem Frühstück), autoraedā in urbem Bukarest vecti sumus. Quae urbs, caput Rumaniae, plus quam millies duo milia incolarum continet. Mirabundi vidimus tot hortos magnificos, nemora, aedificia, monumenta, ita ut dicam urbem Bukarest pulchritudine paene adaequare urbem Budapest.

Linguam Rumanicam quoque miratus sum, quippe quae, quamquam filia sermonis Latini est, tot formas et vocabula slava, quin etiam turca possideat, ut saepe atque iterum risus mihi erumperet. Ut exemplis utar: articulus adiungitur nominibus, ita ut Theatrum rumanicā linguā factum sit teatrul. "ul" articulus est. Consōnans Latina QU commutata est in P, ita ut "quattuor" Rumanicā linguā factum sit "patro".

Non procul ab ostio Danubii nave exiimus et autoraedā vecti sumus Constantam, urbem florentissimam, ad Pontum Euxinum sitam, quae antiquis temporibus "Tomi" est appellata. Cum autem nomen Tomi audivissem, mirum in modum animo captus sum. Memineram enim locum esse, ubi Ovidius Naso, poeta Romanus, exsilio multatus vixerat et mortuus erat. Convector (Mitreisender) quidam mihi dixit in ista urbe statuam Ovidii esse. Tum vehementissime rogavi ductorem autoraedae, ut nos ad statuam illam veheret. Amabilissime mihi assensus est, et paulo post stabam ante statuam Ovidii, poetae togati, miratus opus artificis, quod Ovidium mihi quasi praesentem scivit facere. Infra statuam legi verba Ovidii, excerpta ex opere eius, quod inscribitur "Tristia": "Ille

ego qui fuerim tenerorum lusor amorum...." Valde commotus gratias egi ductori autoraedae.

Cetera narratu sunt indigna. Aëroplano Turicum revecti sumus.

Emanuel Bernard




DE COMPUTATRIS

Tractationis pars tertia

Cum cognovissemus, quomodo fieri posset, ut symbola ac operationes mathematicae in signa electrica commutarentur, nunc compositionem generalem singularum computatri partium paucis disseramus.

In delineatione proxima compositio unius computatri adumbrata est:



Unitas centralis:

Unitas centralis est quasi cor uniuscuiusque computatri. In unitate centrali omnes processus directorii et calculatorii fiunt. Ibi programmata in effectus convertuntur, velut in directionem instrumentorum inditoriorum et editoriorum aut in interrogationem synthesis plectrorum, quando enim quod plectrum sit pressum, aut in directionem albi televisifici, ut unaquaeque littera in recto loco ponatur.

Memoria principalis:

Memoria principali computatrum omnia programmata dataque tenet atque cunctos valores, quos in processu calculatorio computavit. Etiam omnia memoria condita sunt, quae in albo televisifico scripta sunt.

Maximi momenti est capacitas memoriae, id est, quantum computatrum memoria tenere possit. De hac re postea.

Instrumenta inditoria:

Instrumenta inditoria sunt instrumenta, quibus programmata, data, mandata directoria in computatrum indi possunt. Maximi momenti hodie synthesis plectrorum est, prius fuit lectrum mechanographicum, quo chartae perforatae leguntur. Alia sunt magnetophona et lectra discorum magneticorum.

Instrumenta editoria:

Instrumenta editoria sunt instrumenta, quibus computatrum data edere potest. Maximi momenti sunt alba televisifica, impressoria, lectra discorum, magnetophona. Quibus instrumentis data sive datothecae discis magneticis vel taeniis magneticis inscribuntur aut, impressorio, exscribuntur. Alia instrumenta editoria sunt synthetizatra linguae et, in technica, automata.

Nunc, constructione computatri illustrata, de arte programmationis loquamur. Simplicissima programmationis lingua atque unica, qua computatrum directe gubernari potest, est lingua machinalis. Quoniam omnes aliae programmationis linguae lingua machinali procreatae sunt, eam hic explanabimus.

Lingua machinalis sicut lingua nostra litteris et verbis constat. Littera est, quod antea statum fluenti


AZ

8050 Zürich

7+8/87

IDIBVS AVGVSTIS

MCMLXXXVII



RVMOR VARIVS



TOMUS 10

FASC. 66